Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32269

Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

eo quod culpa sua non haberet celationem.

excessum. Oratione fusa, cum ad ecclesie rediret ianuam, denarium quem obtulerat secum portatum reduxit, reportatum reposuit; egrediens secum portat, regrediens orat, exit, denarium tociens oblatum secum portat. Miratur et timens, statim ut ecclesiam egreditur occurrunt qui rerum tenentur ut per se aperte intelligi respuisse virum oblationem. Quociens visus sit in sancta ecclesia qua requiescit corporaliter si velim dicere fastidiosus ero lectori. Quociens luminaria de celo ardentia in eandem ecclesiam descendant. sicque celesti in tenet reverentia. custodes perhibent eiusdem ecclesie. qui et sub grandi attestacione affirmant: sepe eum vidisse ad altare quod ipsius sepulcro contiguum est stantem, et episcopali cantare apparatu. Quidam vir qui certis vigilabat et serviebat frequenti. cum quadam sepe verteret die quadam ad altare cetaque iuxta de pede crucifixi. quod super idem magna positum est altitudine: denarii quidam karitas ante verrente deciderit: ab eo quidem loco. ubi nisi per scalas nemo vix ascendere potest. Prestantissimus itaque virtutibus et signis que fecit deus per servum suum beatissimum Gerhardum episcopum. glorificemus dominum omnipotentem qui est mirabilis in sanctis suis. cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Incipit passio sanctorum Iuliani et Basilisse.

Beatus Iulianus nobili familia illustris in seculo erat. quem parentes unicum pignus viscerum suorum dulce sobole susceperunt. Omnem doctrinam et omnem scientiam cum imbuerunt. quod dialecticam. non rethoricorum fugiebat ingenium. Omnium auctorum mundi sapientia eum imbuerant. et quasi bonus athleta Christi sic utebatur mundo quasi non uteretur. Legerat enim magistrum omnium christianorum apostolum paulum dicentem: Preterit enim figura huius mundi. et ne cum ipso mundo immundus periret. se de eo sic carum exhibebat. ut sapientiam mundi stulticiam reputaret. Optabat enim seculo preterire sine sollicitudine esse cum Christo. Erat enim amator fidei et ecclesie sancte. adherens sanctorum ergastulis. Nullum intermittebat diem. quo sanctis dei non videndum appareret. Quasi bonus negociator thesaurum reponebat in corde: omnium electorum imitans actus. studens in singulorum virtutibus. gratia sanctitatis florebat. Hunc parentes cum viderent tanta intencione animi christianis adherere: convocantes eum ad se dixerunt: Audi genitorum tuorum salubre consilium. quod inmutabili lege magister omnium christianorum docet dicens: Volo iuvenes nubere: filios procreare: patres familias esse. nullam dantes occasionem maligno. Propterea te non solum ut nobis consentias hortamur. quantum ut legi divine obediens esse videaris. Iulianus respondit: Nec voluntatis nec etatis temporis est. ut faciam que hortamini. Parentes dixerunt: Annorum es decem et octo. quomodo excusare te potes. ne coniugio socieris. Nolumus ut de tempore causeris. volumus enim te unius mulieris esse virum. ut concessa procreatione letari possis cum patre filius. Agebant autem parentes. quomodo aut qualiter semen eorum resuscitaretur. Cumque parentum et amicorum molestias non sufferret. ait: Nec promittendi mihi facultas est: nec denegandi potestas. Hoc ergo quod hortamini. in potestatem dei committo. Propterea septem dierum inducias peto. et quod ipse dignatus fuerit aspirare: hoc a me responsum accipietis. Hec audientes parentes eius erant nimio tedio afflicti. et cogitacionibus tabescebant. quousque dies statutus veniret. quo responsum filii reciperet. Puer vero spacium dierum exegit. et die noctuque orationibus pervigilans. postulabat a domino ne virginitatem promissam qualibet occasione violaret. Octava enim die corpus maceratum ieiuniis. noctu soporans apparuit illi dominus. consolatur fidelem servum. paratum spiritus mentem corroborat. et iuxta preceptum ut faciat iubet. et ita eum alloquitur: Surge ne timeas uxoris suasiones. nec voluntatem parentum perhorrescas. Accipies enim virginem: que te non polluendo a me separet. sed per te virgo perseveret. et te et ipsam in celis virgines recipiam. Multorum enim in vobis castitas dedicabitur. Adeo te ut omnis voluptates carnis et hostis libidines conterantur. et ipsa que tibi fuerit iuncta coniugio: timorem amorem. tu vero sequipedam faciam. Ibique me in cubiculo preparatum videbis. Et dominus tetigit eum et dixit: Viriliter age. et confortetur cor tuum. His virtutibus roboratus. Iulianus exurgens deo gratias referebat. et completa oratione letus egreditur de cubiculo. et ait parentibus: Ecce sicut desiderastis